



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XXVII. De celebratione Missarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

folui non posse aliquatenus, vel ligari: & ex hoc ordinem ecclesiæ per maiores & sanctos patres diuina prouidentia institutum confundi & perturbari. Et hoc præsens statutum per vniuersos plebanos singulis quatuor temporibus, & in præcipuis festiuitatibus coram suis parochianis præcipimus publicari.

ANNO
CHRISTI
1440.

XXVI.

De iure patronatus.

Ad extirpandam illam detestabilem corruptelam quorundam ecclesiarum patronorum, qui rectoribus earum defunctis, spoliant dotem & ecclesiam rebus mobilibus, & interdum immobilibus, in salutis propriæ dispendium & scandalum plurimorum, statuimus, vt siue clericus, siue laicus hoc facere præsumperit, cuiuscumque dignitatis, etiam pontificalis existat, sit a iure præsentandi ea vice suspensus ecclesiam conferat: & si ipse negligens fuerit, superior eam conferat ipsa vice: vterque autem sit excommunicatus ipsa iuris & arctius ab omnibus euitetur, donec cum debita satisfactione restituat sic ablata.

XXVII.

De celebratione Missarum.

Prædecessorum nostrorum ducti vestigiis statuimus, inhibentes huius sacri approbatione Concilii, vt nullus sacerdotum nouitiorum illa die, qua primam Missam celebrare voluit, in exordio publicationis sanctissimi sui officii oblaturus Deo primitias gratiæ ac salutis sibi collatæ, aliquos ad conuiuium inuitare, aut inuitatos habere, aut procurare per se vel per alium vlllo modo præsumat: sed ad solum Deum, cuius militiæ est adscriptus, dirigat aciem sui cordis, maxime die illa deuotus, curis & sollicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum distrahuntur, exutus, remotis vanitatibus histrionum, qualibus tumultibus & insolentiis reproborum, qui etiam sæpe venire assolent non vocati.